Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Ratrem. Nolite detrahere alterutrum. qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi. et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis sed iudex. Unus est legislator et iudex qui potest perdere et liberare. Tu quis es qui iudicas proximum tuum. Ecce nunc qui dicitis hodie aut crastino ibimus in illam civitatem quidem ibimus et negotiabimur et lucrum faciemus? et ignoratis quid erit crastinum. Quae est enim vita vestra. Vapor est ad modicum parens. et deinceps exterminabitur pro eo ut dicatis si dominus voluerit. et si vixerimus faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis maligna est. Scienti igitur bonum et non facienti peccatum est illi. S. Lucam. Nullo t. Accesserunt ad eum quidam saducei qui negant esse resurrectionem mortuorum. et interrogaverunt eum dicentes. Magister moyses scripsit nobis. si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem. et hic sine filiis fuerit ut accipiat eam frater uxorem. et suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant. et primus accepit uxorem. et mortuus est sine filiis. Et secundus accepit illam. et ipse mortuus est sine filiis. Et tertius accepit illam. similiter et omnes septem et non reliquerunt semen et mortui sunt. Novissime omnium mortua est et mulier. In resurrectione ergo cuius erit uxor. siquidem septem habuerunt eam uxorem. Et ait illis iesus. Filii huius seculi nubunt. et traduntur ad nuptias. Illi vero qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis neque nubent neque ducent uxores. neque enim ultra morientur. Equales enim sunt angelis et filii dei sunt. cum sint filii resurrectionis. Quia vero resurgunt mortui. et moyses ostendit secus rubum. sicut dicit. Dominum deum tuum abraham et deum ysaac et deum iacob. Deus autem non est mortuorum. sed viventium. Omnes enim viventi ei. Tunc scribarum autem dixerunt. Magister bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare. De corpore xpi.

Sumpsit eos ex adipe frumenti alla et de petra melle saturavit eos alla alla alla. Ps. Exultate deo adiutori nostro iubilate deo iacob. Sitia psm. Gradual.